Adam de St. Victore

Sequentia "Lauda crucis attolamus"

- 1. Laudes Crucis attollamus, Nos qui Crucis exsultamus Speciali gloria:
- 2. Nam in Cruce triumphamus, Hostem ferum superamus Vitali Victoria.
- 3. Dulce melos tangat cœlos; Dulce lignum, dulci dignum Credimus melodia:
- 4. Voci vita non discordet; Cum vox vitam non remordet, Dulcis est symphonia.
- 5. Servi Crucis Crucem laudent, Per quam Crucem sibi gaudent Vitæ dari munera.
- 6. Dicant omnes, et dicant singuli: Ave salus totius sæculi, Arbor salutifera!
- 7. O quam felix, quam præclara Fuit hæc salutis ara Rubens Agni sanguine,
- 8. Agni sine macula, Qui mundavit sæcula Ab antiquo erimine!
- 9. Hæc est scala peccatorum, Per quam Christus, rex cœlorum, Ad se trahit omnia;

Thomae de Aquino

Sequentia "Lauda Sion"

- 1. Lauda, Sion, salvatorem, lauda ducem et pastorem in hymnis et canticis.
- 2. Quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficis.
- 3. Laudis thema specialis, panis vivus et vitalis, hodie proponitur.
- 4. Quem in sacrae mensa coenae, turbae fratrum duodenae datum non ambigitur.
- 5. Sit laus plena, sit sonora; sit iucunda, sit decora mentis iubilatio.
- 6. Dies enim solemnis agitur, in qua mensae prima recolitur huius institutio.
- 7. In hac mensa novi regis, novum Pascha novae legis phase vetus terminat.
- 8. Vetustatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat.
- 9. Quod in cena Christus gessit, faciendum hoc expressit in sui memoriam.



- 10. Forma cujus hoc ostendit Quæ terrarum comprehendit Quatuor confinia.
- 11. Non sunt nova sacramenta, Nec recenter est inventa Crucis hæc religio:
- 12. Ista dulces aquas fecit; Per hanc silex aquas jecit Moysis officio.
- 13. Nulla salus est in domo, Nisi Cruce munit homo Superliminaria:
- 14. Neque sensit gladium, Nec amisit filium Quisquis egit talia.
- 15. Ligna legens in Sarepta Spem salutis est adepta Pauper muliercula:
- 16. Sine lignis fidei Nec lecythus olei Valet, nec farinula.
- 17. In Scripturis sub figuris ista latent, sed jam patent Crucis beneficia;
- 18. Reges credunt, hostes cedunt; Sola Cruce, Christo duce, Unus fugat millia.
- 19. Roma naves universas In profundum vidit mersas Una cum Maxentio:
- 20. Fusi Thraces, cæsi Persæ, Sed et partis dux adversæ Victus ab Heraclio.

- 10. Docti sacris institutis, panem vinum in salutis consecramus hostiam.
- 11. Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis et vinum in sanguinem.
- 12. Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides praeter rerum ordinem.
- 13. Sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus latent res eximiae.
- 14. Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub utraque specie.
- 15. A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur.
- 16. Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur.
- 17. Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali, vitae vel interitus.
- 18. Mors est malis, vita bonis; vide, paris sumptionis quam sit dispar exitus.



- 21. Ista suos fortiores Semper facit et victores; Morbos sanat et languores, Reprimit dæmonia;
- 22. Dat captivis libertatem, Vitæ confert novitatem: Ad antiquam dignitatem Crux reduxit omnia.
- 23. O Crux, lignum triumphale, Vera mundi salus, vale! Inter ligna nullum tale Fronde, flore, germine;
- 24. Medicina Christiana, Salve sanos, ægros sana: Quod non valet vis humana Fit in tuo nomine.
- 25. Assistentes Crucia laudi Consecrator Crucis, audi, Atque servos tuæ Crucis Post hanc vitam, veræ lucis Transfer ad palatia;
- 26. Quos tormento vis servire, Fac tormenta non sentire; Sed quum dies erit iræ, Confer nobis et largire Sempiterna gaudia.

Amen.

- 19. Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.
- 20. Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur.
- 21. Ecce, panis Angelorum, factus cibus viatorum, vere panis filiorum, non mittendus canibus.
- 22. In figuris praesignatur, cum Isaac immolatur, agnus Paschae deputatur, datur manna patribus.
- 23. Bone pastor, panis vere, Iesu nostri miserere, tu nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium.
- 24. Tu qui cuncta scis et vales, qui nos pascis hic mortales, tu nos ibi commensales, coheredes et sodales fac sanctorum civium.

Amen.

(Lateinischer Text: corpusthomisticum.org)

